

maioris masse inponere voluerit aut si aliqua de nostris successoribus universalis persona iam dictam maiorem massam cum aliis omnibus sibi subiugatis aut si per dictum episcopum de iure et dominio et potestate atque virtute seu consecratione et ordinatione hos sanctae nostrae Romane aeccliesiae abere et segregare ullo tempore volluerit sit daturus et compositurus sanctae nostrae Romane aeccliesiae beati Petri auri obtimi libras centum et a liminibus sanctae aeccliesiae sit segregatus et a nostra universali atque amplissima sede apostolica sit excommunicatus et sub anathema nostre indignacionis et sanctorum omnium conciliorum in perpetuum eum maledicentes manere precipimus atque censuimus et hec nostri precepti pagina in suo semper maneat vigore at firmitate.

Stefanus clericus huius sancti Lateranensis palacii scriptor hoc privilegium de omnibus predictis a parte sancte Romane ecclesie scrivivi et dedi et absolvi.

2.

998 luglio 7, (Ferrara ?).

Gregorio, vescovo di Ferrara, concede in enfiteusi a Leo di Guarino il *fundus* Bariano e altri beni situati in cinque pievi traspadane.

SC, XVI, c. 15v, copia del secolo XVIII.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, pontificatus domini Gregorii summi pontificis et universalis pape in apostolica sacratissima sede beati Petri apostoli anno tercio, imperante domno Ottone imperatore in Italia anno tercio, die septimo mensis iulii, indicione undecima. Omnibus manifestum est atque congrua ratione dispositum libenter debere eorum desideriis annuere pro quibus et venerabiliorum locorum utilitati meliorandi causa proficiant et ideo Gregorius Ferrariensis episcopus per hanc henfiteusin concedo rem de iure nostri episcopii Ferrariensis Sancti Georgii tibi presenti Leoni qui vocaris de Guarino tisque filiis et nepotibus, idest totum et integrum fundum unum qui vocatur Badrignano qui in silvis et spessis iacere videtur positum infra hec latera inter adfines suos de suprascripto fundo toto et integro qui vocatur Bathrignano, hoc est ab uno latere iura monasterii Sancti Salvatoris, ab alio latere fossato vel est Finale inter suprascripto fundo et massa Duę Basilicae, a tercio latere fluvio qui dicitur Tartarus, a quarto latere fluvio Pado percurrente; et insuper concedo tibi omnes res illas quantas prescriptę nostrę ecclesię pertinent in fundo qui dicitur Cidrignano et in fundo Fabrica et in fundo Bagnolo et in fundo Casallia et in Villa Magna et in Asango per singulis locis; que omnia cum terris, vineis, casalibus, campis, pratis, pascuis, silvis, arboribus pumiferis et infructiferis et cum omnibus suprascriptis rebus pertinentibus constituta hec omnia in territorio Ferrarie infra plebem Sanctę Marię in Duo Basilicae et in plebe Sancti Georgii in Lavino et in plebe Sanctę Marię in Trenta et in plebe Sancti Stefani in Galigo et in plebe Sanctorum Gervasii et Protasii, hec omnia ad habendum, tenendum, possidendum, labo-

randum, defensandum, meliorandum et ex tuis propriis expensis et laboribus annualem pensionem in omni mense marcii cum tuis filiis et nepotibus michi mensue successoribus denarios sex tantum pensio ut dictum est persolvatur, ita ut post dies tuos tuorumque filiorum et nepotum prescripta re cum omni melioratione in prescripta nostra ecclesia cuius est proprietas revertatur; que omnia sicut supra legitur conservare et auctorizare promitto cum meis successoribus tibi prescripto Leoni petitori seu filiis et nepotibus tuis pena auri ebrizi libra una et post pena soluta stet in sua firmitate. Quam vero paginam Petrus in Dei nomine tabellio et negotiator scribendam rogavi et subtus manu mea firmavi et testes adfirmare rogavi in die et indicione prescripta.

+ Gregorius divina gratia episcopus Sancte Ferrariensis ecclesie hanc paginam henfiteosin sicut supra legitur a me facta manu mea firmavi.

+ Martinus archipresbiter Sancte Ferrariensis ecclesie manu mea subscripsi.

+ Bernardus archidiaconus Sancte Ferrariensis ecclesie manu mea subscripsi.

si.

+ Presbiter Petrus manu mea subscripsi.

+ Martinus presbiter manu mea subscripsi.

+ Mainfredus tabellio et dativus manu mea subscripsi.

+ Petrus consul manu mea subscripsi.

+ Paulus filius Iohannis consul manu mea subscripsi.

+ Deusdedit filius Iohannis consul manu mea subscripsi.

+ Almericus filius Iohannis consul manu mea subscripsi.

Ego Petrus in Dei nomine tabellio scriptor huius pagine complevi et assolvi.

3.

1027 marzo 12, Trecenta.

Cono alemanno dona beni in vari luoghi al monastero di S. Pietro di Modena.

Archivio di Stato di Verona, *S. Michele in Campagna*, perg. 1.

(S) In nomine sancte et individue Trinitatis, anni ab incarnatione domini nostri Iesu Christi millesimo vicesimo septimo, die duodecimo ingrediente mense marcius, indicione decima. Ideo in Dei nomine ego Conus fili[us] bone memorie Ichenulfi, qui professus sum nacione mea lege vivere Alamanorum, presens presentibus dixi: 'Quem ad meritum anime mee pertinere potest atque mercedis anime Mainilde coniuge mea, necesse est nobis semper illud agere unde hic et in futuro seculo plenam apud omnipotentem Dominum maximam possimus consequi mercedem; quisquis in sanctis ac venerabilibus locis aliquid ex suis contulit, iuxta auctoris vocem in hoc seculo centuplum accipiet, insuper, quod est melius, vitam eternam'. Et ideo ego Conus qui supra dono, trado seu offero propter Deum et remedium anime mee atque Mainilde uxori mee in ecclesia monasterii Sancti Pe-